



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# Universitätsbibliothek Paderborn

## Regale Sacerdotivm

Besse, Pierre de

Coloniae Agrippinae, 1615

Cap. 1. Sacerdotes ebrietatem & ingluuiem vitent.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54698](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54698)

LIBER TERTIVS,  
DE IIS  
QVÆ SACERDO-  
TIBVS CAVENDA ET  
VITANDA SVNT.

CAPVT I.

*Sacerdotes ebrietatem & ingluuiem vitent.*

**D**EVS olim Aaronem eiusque filios **Vini vsus**  
quo ab ebrietate eos auocaret, **Sacerdoti-**  
num & quidquid inebriare potest, **bus anti-**  
bibere vetuit, quoties tabernacu- **quis inter-**  
lum ingredi debebant. *Vinum, inquit, & omne* **dictus.**

*quod inebriare potest, non bibetis tu & filij tui,* **Leuit. 10.**  
*quando intrabitis in tabernaculum testimonij.* Pre-  
ceptum hoc de ebrietate cauenda ad Euangeli-  
cos Sacerdotes non minus spectat, quàm ad Sy-  
nagogicos: ebrietas enim execrabile vitium  
est, sed maximè in Sacerdotibus.

*Violentum, inquit Hieronymus, Sacerdotem*  
*& Apostolus damnat & vetus lex prohibet: Sacer-*  
*dotibus quoq; tēplo Domini ministrantibus interd-*  
*ictum est vinū bibere aut siceram, ne corda illorum*  
*in apula opprimantur & peruertantur.* Nouæ igitur  
legis Sacerdotibus maior damnatio inten-  
tatur pœnaq; grauiter incumbit, dum ebrieta-  
tem sectantur, vtpote qui Deo ministrant, &  
semper in illius Ecclesia versantur; dissolutio-  
nes igitur illis penitus interdiciuntur.

*Omnibus diebus, ait de Nazaræis Dominus, qui-*  
*bus ex voto Domino consecrantur, quidquid ex*

Δ 3 2

VINCA

Dist. 35.

c. eod.

Lex vetus  
& noua  
ebrietatē  
in Sacer-  
dotibus  
prohibet



Nazarzi  
vinum  
non bibe-  
bant.

vineae esse potest, ab vva passa vsq. ad acinum non comedent. E quo colligant nouæ legis Sacerdotes, in Dei ministerium alleetos, se & sobrios in vitu & in potu temperantes esse debere, omnemque crapulam & ingluuiem toto vitæ tempore fugere.

Prou. 26

Qui vino  
deditus est,  
insipiens  
est.

Scripsit in prouerbijis Salomon, *Luxuriosa res, vinum, & tumultuosa ebrietas, quicumq. his delectatur, non erit sapiens.* Equidem assentior & dico vinosum. & mero deditum Sacerdotem, ostendere se parum sapere & vecordem esse.

Isai. 28.

Sacerdotum  
ebrietas  
populorum  
exiti-  
um.

Isaias propheta populi sui calamitatē & exitium deplorans, ac præsertim Sacerdotes reprehendens, eorum dissolutionem & voluptatem horum omnium causam ait exstitisse, quod semper vino maderent, ignari essent, & ebrietatem sectarentur: *Sacerdos & Propheta nesciunt præ ebrietate, absorpti sunt à vino.* E quo manifestum est, Sacerdotum ebrietatem sæpe populorum ruinam afferre.

Ecli. 31.

Nimius  
potus infi-  
nita secum  
trahit ma-  
la.

In eundem sensum incidens Ecclesiasticus dixit, *Vinum multum potatum irritationem & iram & ruinas multas facit.* Experientia hoc constat, imò quotidie cernere est, Sacerdotes ob nimium potum mille ruinas inducere, tot calamitates causari, ac plurimorum malorum fontem & scaturiginem esse.

Animæ  
etiam rui-  
na est.

Eodem quoque loco dixit amaritudinem animæ esse vinum multum potatum, & penitentiam inducere. Hoc animis vestris inhzreat, Sacerdotes dissoluti, ac sciatis velim, tandem aliquando fore, vt vos ebrietatis peniteat, & animæ vestræ perniciem vinum futurum.

Ecli. 37.

Alio quoq. loco non minus sapienter monuit,

Noli



Noli audus esse in omni epulatione, & non te ef-  
 fundas super omnem escam. Post ipsum idem mo- Exhorta-  
 neo Sacerdotes, vosque exhortor vt sobrij & tur sapiens  
 temperantes sitis, gulæ imperetis, mensam mo- ad tempe-  
 destam colatis, & dissolutiones fugiatis. rantiam.

Nolite, ait Apostolus, inebriari vino, in quo  
 est luxuria: id est, vt exponit D. Thomas, ne  
 sitis gulosi Sacerdotes, ne ebriosi, ne libidino-  
 si, & actiones vestras modestè semper honeste-  
 que dirigite. S. Thom. in  
 Epist. 1. ad  
 Tim. 3.  
 Coloss. 2.

Idem etiam Colossensibus hoc quo ad tem-  
 perantiam præceptum dabat, Nemo vos iudicet  
 in cibo aut in potu, id est videte, ne quis vos vt  
 ebrios aut gulosos condemnet aut arguat.  
 Vobis hoc dictum putate Sacerdotes, itaque  
 viuite, vt nemo vos vt vinolentos & bibones  
 habeat, sed velut de sobrijs honestæque con-  
 uersationis viris omnes loquantur. Eccli. 19.

Sapiens olim dixit, vinum & mulieres aposta-  
 tæ faciunt sapientes, coguntque religionem  
 & omnes spirituales diuitias deserere. Cer-  
 tissima sententiæ & diuina, libidinè & ebrieta-  
 tē infinitos ad apostasiã traduxisse; & plurimos  
 Sacerdotes auctoritate & religione priuasse.

Eodem quoque loco scriptum, Operarius  
 ebriosus non locupletabitur: Allegoricè hoc ex-  
 ponens, dico, Sacerdotes qui vineæ Ecclesiæ  
 operarij sunt, vino deditos numquam honore  
 & meritis locupletandos.

Holofernes generalis militiæ Assyriorū præ-  
 fectus, vino sopitus & crapula, femine dextra  
 occubuit suo ipsius gladio iugulatus, Nimia  
 ebrietate sopitus. Sacerdotes capita sunt mi-  
 nima Iesu Christi, sed quoniam sapius vi-  
 no sese ingurgitant & inebriant, & illicito  
 Indub. 13.



se concubitu coinquinant, honore excidunt, & suis ipsorum armis iugulati sepè vitā amittunt.

Sapienti olim Spiritus sanctus suggessit, sobriūm potum corporis & animæ sanitatem esse. Eiusdem ipse sum etiam opinionis, & verba inuertens dico, vini vsum & ingluuiem, animæ & corpori Sacerdotis mortem afferre, eiusque vitam abscindere.

*Vinum*, ait idem, *in iucunditatem creatum est, & non in ebrietatem ab initio*. Meminerint tententiæ huius Sacerdotes, si verò interdū illos bibere contingat, hoc ad hilaritatem, ad vires restaurandas, vitā conseruandā, creatorē datoreq; vini laudandū: non verò ad abusum, ad seiplos obruendos, & inebriandos, & scandalū proximo accersendum id fiat necesse est.

Jeremias Ierosolymis interminans dicebat, *Ecce ego implebo omnes habitatores terræ huius, & reges qui sedent de stirpe David super thronum eius, & Sacerdotes & Prophetas & omnes habitatores Ierusalem ebrietate, &c.* signum profectō est, tunc Deum aduersus populum suum indignari, & rigidè in illum velle animaduertere, dum dissolutos & vinosos & popinas frequentantes in ductores & doctores eis dat Sacerdotes, qui tamen eorum reges sunt ac Prophetæ.

Ezechiel diuinas interminationes intēcans, & iustitiæ rigore exaggerans, Hierosolymitanis ciuibus ait, gulosos & vinosos in ciuitatem illorum introducendos, *Ebrietate & dolore repleberis, calice mœroris & tristitia*. Magna haud dubiè Dei castigatio est, & Christianitatis flagellum, cum vrbes, pagi ac monasteria Sacerdotibus dissolutis & vino deditis repleti sunt.

Dixit

*Ecclesi. 31.*  
Nimius  
potus vitæ  
noxius.  
Vinum ad  
iucundita-  
tem, non  
vero ad  
peccatum  
creatum  
est.

*Ecclesi. 3.*

*Jerem. 13.*  
Punitio  
Dei dum  
Sacerdotes  
vinosi  
sunt.

Malum  
graue  
Sacerdo-  
tum ebrie-  
tas.

*Ezech. 23.*



Dixit olim Oseas Propheta, *Fornicatio, & vinum & ebrietas auferant cor.* Et sanè Sacerdotes ebrietas excordes vos facit; itaque vos commutat, vt ex hominibus in bestias commutat.

Romanis scribens Apostolus ait, *Sicut in die honestè ambulemus, non in comessationibus & ebrietatibus.* Eadem exhortatione vt apud vos volo, collegæ mei & Confacerdotes, vobisq; supplicare, vt honestatem morum, consecremini, sobrietatem amplectamini & comessationes repudietis.

Idem verò opera carnis recensens, inter cetera ebrietatem ponit, *Inuidia, homicidia, ebrietates, comessationes, &c. quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Irrenocabile & firmum decretum, inuidum, homicidam, & vinosum, & præsertim Sacerdotes, qui hisce vitiis infames sunt, regnum Dei nunquam adepturos, sed in æternum puniendos, & perpetuis suppliciiis mancipandos.

In prima ad Corinthios vetat Apostolus, ne quis fornicanti, detrahenti, ebrioso, idoloratæ socius sit, imò vt ne quidem cum eis manducet, Nunc autem scripsi vobis non misceri, si is qui fratres nominatur inter vos est fornicator, aut auarus, aut idolis seruiens, aut mentiens, aut ebriosus. Apostolicam hanc doctrinam secutus, dico Sacerdotem, qui sibi ipsi temperare nequit, quotidie sine intermissione bibit, mereri vt omnes eum fugiant, oderint, & commercium illius declinent.

Puella illæ Sodomiticæ, postquam patrem inebriasset, incestum vt commiserit, in causa fuere, *Dederunt itaque patri suo bibere vinum non illa, & ingressa est maior. dormiuitque*

Vinum auferit cor.

Osee. 4.  
Ebrietatis fugam suadet Paulus Rom. 13.

Gal. 5.  
Ebrii cælo excludentur.

Veritum ebriorum commercium. 1. Cor. 5.

Gen. 19.  
Allegoria.

Ad 4 cum



*cum patre* Gula & ebrietas Sodomiticæ sunt filia, quæ ubi Patres spirituales, Sacerdotes inquam, inebriarunt, ad libidinem deinde, illicitos concubitus, incestus, sacrilegia, ac reliqua delictorum genera pellunt,

S. Bonaventura, S. Basilius, & Innocentius Papa tradunt, Ecclesiasticos sedulo ab ebrietate & comestationibus abstinere debere, & diligenter cauere, ne quis ad æquales hauustus cogatur, cum crapula & ebrietas ingenij statum perturbet, & libidinis fomitem accédât. *A crapula & ebrietate omnes Clerici diligenter abstinereant.* Sapiens ille ac prudens futurus est Sacerdos, qui Patribus illis crediderit, & ebrietatem compescens, concupiscentiæ fomitem extinxerit, & egregia quadam sobrietate spiritum in tuto collocauerit.

Duo œcumenica Concilia, & Apostolicus etiam Canon, Sacerdotes vetant, tabernas & popinas accedere, nisi grauis videretur necessitas, aut in via constituti sint, *Clerici edendi vel bibendi causa tabernas non ingredientur, nisi peregrinationis necessitate compulsi.* Quam parum sancta hæc constitutio hodie obseruatur, cum Sacerdotibus & Clericis popinæ lateant.

Dicere solebat illustrissimus ac doctissimus Cardin. Petrus Rauennas, ebrietatem in homine vulgari ac laico crimen esse, sed in Sacerdote sacrilegium. Ad vestrum igitur dedecus dico, Sacerdotes, vos, cum inebriamini, sacrilegij vos reos constituere.

*Ebrietas, ait Isidorus Hispalensis, perturbationem gignit mentis, furorem cordis, flammam libidinis, itaque mentem extra statum suum abripit, ut quo deportata sit ignoret, malumque non sentiat in quod*

Nemo ad bibendum cogendus.  
*In specul. disc. p. 3. c. 4. Orat. 16. de inglutie & ebriet. De vita & honest. Cleric. c. eod. Sacerdos non adeat popinam. Con. Apost. 54. Conc. Carthag. 4. c. 15. Laodic. c. 24. de vita & honest. cler. c. pen. In Sacerdote ebrietas sacrilegium est. Lib. de summo bono. c. 43. Ebrietatis effectus.*



in quod vitio hoc incidit. Iuxta Episcopi illius mentem, Sacerdos qui vino se ingurgitat, graue & enorme vitium admittit, ingenium & iudicium perturbatum habet, cor furore replet, & flammam libidinis internè accendit. Quod verò longè deterius, adeo spiritus illius demētatus & fascinatus est, vt in medio malorū confectus, suam ipsius calamitatem perspectam non habeat.

Ebrietas, inquit Concilium Treuerense, insignitum flagitiorum incitatrix & scaturigo, Ecclesiasticum gradū summa cum turpitudine passum insamauit. Quis enim nescit, peccatum hoc, quod alia infinita secum trahit, Sacerdotum honorem pessum dedisse, & Clericis plurimis infamiam attulisse?

Vt verò peccatum hoc graue & enorme, ita quoq; rigidè semper & grauiter in ipsum fuit animaduersum; vnde benè idem quod supra Conciliū decreuit, Qui turpiter illi vitio indulgent, immorigeri ab officijs & beneficijs, Ecclesiastica censura, & Synodi auctoritate primū suspendantur. Si Synodi huius decreta hodie in vsu foret, si Sacerdotes temulenti ab administratione Sacramentorum suspenderentur, & beneficijs priuaretur, non tot sese temulentia dederent.

Ante omnia, ait Concilium Agathense, Clericis vitetur ebrietas, qua vitiorum fomes & nutrix est: si quis verò ebrius fuerit, triginta dierum spatio communionem frustretur, vel punitione corporali in eum animaduertatur. Seuera hæc decreta & graues sceleris, Sacerdotes haud dubiè percellere deberent, eosque inhibere ne tabernas frequentent.

Gratianus in decretis suis habet, si laicis comestiones damnabiles sunt, multo magis Sacer-

De temulentia cleric.  
Ebrietas plurimos Sacerdotes infamauit,

Sacerdotū vinosorum pæna.

Dist. 35. e. fin.

Dist. 44. dotibus e. fin.

A a 5 dotibus e. fin.



**E**brietas in *dotibus imputantur ad gehennam.* Et non immerito Sacerdote ritō: *sæcularis enim temulentus peccatum ad maius crimittit, sed Ecclesiasticus crimen detestandum, men quàm & longè grauius.*

*in alijs.*

**E**brietas *ne Magnus mihi Basilus dixisse videtur, multo morbus incurabilis. ego animaduerti sæpè, qui cùm alterius cuiusvis generis vitijs laborarent, ad sanitatem tamen perstea redierint, qui tamen gula vitio tenerentur, neminem ex omnibus vidi vquam qui conualuerit. Cauete igitur vobis, Sacerdotes, ne hoc in vitium impingatis, ne fortè si ægrotos vos esse contingat, nūquã ad sanitatè peruenire possitis, & proinde ad mortè sempiternã detrudamini.*

## CAPVT II.

*Sacerdotes non sint percussores, nec arma gestent aut tractent.*

**S. Petrus**

*quod percussit reprehenditur.*

*Matth. 26.*

*Nam. 20.*

**Moses à Deo castigatus, quod petrà percussisset.**

**A**postolorum princeps, quod in horroliuarū in nocte passionis Dominicæ manu gladio admouisset, & Malchum percussisset, à Domino reprehensus fuit, *Tunc ait illi Iesus, Certe gladium tuum in locum suum: omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribūt.* Castigatio hæc ad omnes in genere Sacerdotes spectabat, qua docentur ad ipsos non spectare gladium vsurpare, & proximum eodem ferire.

Indignatus est Mosi Deus, quod virga petrà percussisset, cum solo verbo opus fuisset, ameth nullam irã ostēdisset, aded vt ob hoc terra promissionis exclusus fuerit; *Cumq; eleuasset manū Mosès, percussit virga bis silicè, egressa sunt aquæ &c. Dixitq; Dominus ad Moysen & Aaron, quia non credidistis mihi. Quo exemplo demonstratur Deum non parum indignari, cùm Sacerdotes & præfules baculos adhibent, & peccatores, qui*